



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

XXXIX. Philippus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

gij, siue ex fædo damnatoque concubitu procreatus, constat ipsum virum omni virtute, magnâ sapientiâ, religione, prudentia, sacrarum literarum, & vtriusque iuris doctrina, liberalitate, magnificentia, Zelo, & charitate in Deum & proximos, subditosq; suos ornatum, & à nullo prædecessorum suorum superatum fuisse. Qui non tam præesse, quam prodesse desiderans, Ecclesiam Argentinensem prudentissimè rexit, spiritualibus, & his, qua ad Dei laudem, animarumque salutem spectant, potissimum intentus, &c. Exstant adhuc diuini & Pontificij iuris volumina, in quibus manus sua scriptura indicatur, in argumentum honestissimi studij sui, atque feruida dilectionis. Præsuit subditis suis, vt pius, mitissimusq; pater filiis, benignusq; & misericors fuit in suos, quos & in dulci pace, & tràquilitate felicissimè gubernauit. Cum ergo tantus vir fuerit, mirum non est Eystettenses eum sibi ereptum esse, grauiter tulisse.

## XXXIX. Philippus.

Nobilis Alsata à Rathsamhausen. Abbas prius Barriensis seu Perisensis, quod est Monasterium Ordinis Cisterciensis non procul Colmaria, Episcopatum Eystettensem, eo, quo supra audiuiti, modo, Pontificis nimirum iussu & nutu, acquisiuit, anno M. CCC. VI. De quo Manuscriptus Codex sequentia. Hic Philippus Magister in Theologia & pfectus Ordinis Cisterciensium, & egregius prædicator ad populum, prouisus in Episcopum Eystettensem, per Dominum Clementem Papam quintum, vacante tunc Ecclesia prædicta, per translationem Domini Ioannis Episcopi supra scripti ad Ecclesiam Argentinam. Anno Domini M. CCC. VI. in Episcopatu XXX. X. Episcopus, Eystettensem rexit Ecclesiam XVI. annis, & duobus mensibus, vel circiter. Huius tempore Ecclesia Eystettensis ma-

gnam persecutionem à diuersis tyrannis patitur, &c. Idem Episcopus emit arces VVaribergensem, & Gredingensem. Recuperauit Herenriedum. Huius Episcopi consensu vastatum ac solo equatum est Erlshofense castrum, latronum ac raptorum insarac latibulum. In Italiam Imperatorem Henricum VII. secutus est; Ioanni filio eius præceptor & moderator attributus, cum eodem in Bohemiam abiit. Hic etiam Episcopus Gundikarum huius nominis secundum Episcopum Eystettensem miraculis coruscantem transtulit. Anno Domini M. CCC. IX. Miracula quoque plura, qua per ipsum fiebant, populo prædicauit, hominesq; ad deuotionem prædicti sancti prouocauit, qui adhuc à multis, ut sanctus adoratur ex deuotione, licet adhuc in sanctorum Catalogo non sit descriptus, nec canonizatus. Tandem Philippus annis fessus ad superos migravit año M. CCC. XXII. Postridie S. Matthiæ hoc est XXV. Februarij, cum sedem Episcopalem tenuisset annis XVI. & mensibus duobus. De eodem circumferuntur hi versiculi

*Regula Bernhardi diuini sparsio verbi,*

*Dogma Theologicum sic & piè pauit egenum,*

*Hæc te Philippum fecerunt scandere thronum,*

*Hic præfularem post hoc cæleste beamen.*

Scriptis Philippus stylo non ineleganti vitam S. Walpurgis, quam edidit Tomo I V. D. Canisius, & vitam S. Willibaldi, quam hoc tomo publicam, licet de patre, fratre & sorore S. Willibaldi non pauca interserat.

**XL. Marquardus.**

*Præful Marquardus meritis redolens quasi nardus.*

*Est virtutum dos, speculum, rosa, Pontificum flos.*

Ex nobili familia de Hagel. Sedit annos duos, electus anno Domini M. CCC. XXII. Mortuus año M. CCC. XXIV.